



261
1741, 210

PROCANCELLARIVS
CAROLVS OTTO
RECHENBERG
SOLEMNIA
INAVGVRALIA

CANDIDATI CLARISSIMI
GOTTHELFF EHRENFRIED
W E N D I I

GRIMMENSIS
D. VIII IVNII MDCCXLI
CELEBRANDA
INDICIT.

de
Jure Retorsionis.
ad Const. §. 58. Part. III.



* * *

quod in omni studio sublime atque excellens est, collapsa restitui, in Iurisprudencia quoque dignissimum habendum, si optima^e leges opinionibus interpretum deformatae ad primam simplicitatem et finem, quem legislator in condendis sibi proposuit,

reuocentur. Vere hanc Iurisprudenciam criticam dicas, quae non tantum cum Philologis in emendatione aut interpolatione verborum subsistit, sed legis sensum vel praecudiciis ad verba aegre alligatum latius porrigit, vel longius et contra intentionem a legislatore seruata^m extensum in cancellos, qui primum dati, iudicio redigit. Egit CICERO, hoc de se *ep. 10. Libr. IX. ad Fam.* profitente, eiusmodi *criticum antiquum* cum Niciam inter et Vidium iudex constitutus esset, quorum hic ab illo nummos petebat, quos in tabulis expensi, credidisse ei scriptum proferebat. Nos criticam aut si mauis medicam manum ad Const. Sax. XXXVIII. P. 3. adferemus quae, si qua alia opinionibus deprauata est, ita vim quotidie experitur, vt Iuris publici vniuersalis neglecta ratione, quae in hac explicanda Constitutione praecipua esse debebat, per omnia prope a prima sua origine et legislatoris animo deflectat. Vnicum illius argumentum hac meditatione attigisse satis iam sit, quod ex §: und ist demnach nicht unbillig. CARPZOVIO *Respons. L. VI. XXXVII.* eumque dein secutis Iuris interpretibus opponemus. Existimat ex verbis d. C. und ist demnach nicht unbillig, daß man wieder die Dertter, von denen man die Erbschaft, Gerade, Heegergeräte und dergleichen, gar nicht, oder allein eines theils folgen lässet, solches ius retor-
sionis

III

fionis oder talionis hinwieder auch gebrauchte, und der En-
de solche mehr und weiter denn sie gegeben, nicht folgen las-
se, *inferri posse, non modo ratione rerum atque bonorum, quae*
magistratus e suo loco alio transferri haud patitur, ius re-
torfionis obtinere, sed quoad ipsum successionis modum, gra-
duumque proximitatem, exercendum esse, ut scilicet, qui hoc
vel illo consanguinitatis gradu constitutos ad successionem non
admittant, iure reorfionis alibi in eodem gradu excludantur,
vt maxime alias eo in loco indifferens sit successio. Fingit
vltcrius in Saxonia aliquem decessisse, qui fratrum et sor-
rum vtrunque coniunctorum liberos in Saxonia etiam degentes
ab vna, et sororem ex vno saltem latere natam in Marchia,
vbi ius civile viget, commorantem, ab altera parte reliquerit
haeredes: sororem igitur ex vno saltem latere iunctam et in
Marchia degentem, si ad successionem admitti velit in Iure
Saxonico fundatam esse necessum habere, cui tamen aduersa-
retur, quod in Marchia ius civile vigeat, inde cum in simili
casu in Marchia contingente, frater et soror ex vno latere in
foro saxonico degens, cum fratris ex vtroque latere coniunctis
liberis iuxta dispositionem Iuris Caesarei non admittatur,
haud immerito exceptionem iuris reorfionis opponi posse.
Quae ipsa sententia an legis indoli ac verbis conueniat
dispiciemus. Cum autem certum sit indubitatumque
hoc ipsum, quod de reorfione quoad computationem
proximitatis in successione ab intestato a CARPZO-
VIO asseritur, principium, ne verbo quidem in ipsa con-
stitutione attingi, consecrarium vtique ex illa praeter rem
deducitur, quod longe seuerius est tota lege, et maioris
momenti quam quidem interpretes vulgo putarunt:
CARPZOVIO enim eundem in modum argumentanti
ad stipulari nihil aliud est, quam asserere, aliis ditionibus
exteris a legibus cuiuslibet prouinciae patriis imponi
posse,

IV

posse, vt iura a maioribus accepta, etiam si ea sint, quae vulgo *communia* dicuntur, et nihil iniqui aut exorbitantis in se contineant, toties supprimant aut dimittant, quoties conciuus noster cum incola alieni territorii concurrat, id quod Serenissimo Legislatore nostro nunquam in mentem venisse plane autumo. Apparet enim ex introitu ipsius Constitutionis ius retorsionis saltem restrictiue concedi, *si utilitas suadeat, et aequitas, quo magis in commerciis et negotiis ciuilibus aequalitas conseruetur.* Elicitur hoc praesuppositum vltterius ex verbis tum demum ius rationis licere, *wenn eine Stadt solch unbillig Recht im Gebrauch hätte, adeoque iniquo iure vtatur.* Constat igitur permissionem retorquendi eo saltem casu indultam esse, si utilitas et aequitas suadeat, ad reprimendam iniquitatem iuris exorbitantis: Ipse CARPZOVIVS, definitione prim. ad d. Const. qua interpretationem generalem legis instituit, praesupponit casus innui, quibus haereditates, legata, fideicommissa, aut mortis causa data *absque ulla detractioe* in ceteros ciuitates perferri non permetteretur, et exemplis §. 15. ex Pomerania et §. 16. a Norinbergensibus allatis illud illustrat, quod in rubro definitionis quasi conditionem sine qua non exercendae retorsionis praestruxerat, puta si exteri nostris ciuibus certam partis detractioem imponerent, adeoque primi inaequalitatem inter suos ciues et nostros introducerent. Quae omnia si ad nostrum casum referantur nusquam apparent: Quilibet enim iudicet, an utilitas et aequitas in negotiis ciuilibus promoueat, si respublica aliis ciuitatibus minitandò retorsionem proprii iuris assumptionem et exclusionem patrii quasi imperet? Quaeso quae iniquitas, aut quod exercitium *eines unbilligen Rechts*, si ciuitas sui iuris, patrii et

V
et antiquis legibus vtatur, et secundum illas, extraneis
pariter ac indigenis, aequaliter iura dispenset? quod
ipsum pro varietate casuum aequae lucratium ac da-
mnosum nostris existere potest, vt ex iuribus alieni ter-
ritorii interdum illa, quae nostris negantur, accipiant:
Postulat profecto ius talionis, vt si ciuitas indigenis et
nostris aequale ius habet, nos vicissim et propriis subdi-
tis et forensibus aequale ius dicamus. Inaequalitas enim
quae retorsionis iure reprimenda erat, non ex diuersi-
tate iuris nostri et alieni, sed diuersa iuris dicendi ratio-
ne inter proprios subditos et nostros ciues repetenda
est, vt si praeter ordinem et contra aequalitatem, quam
ius seruare debet, magis suis quam nostris faueant, nos
vicissim exemplum ipsis, qui primam inaequalitatem
introduxerunt nociturum statuamus. Obtrudere vero
velle aliis eandem, quam nos tenemus iuris rationem,
eosque vt iura antiqua dimittant, et nostra sequantur,
adigere, ab omni aequitate et vtilitate abhorret, et sen-
tentiam pariturum esset, quae sanctionem diuini iuris,
indigenis, et extraneis aequaliter iura distribuenda esse,
euertret. Mutua illa, quae inter omnes respublicas
vigere debet amicitia, et primum omnis socialitatis
fundamentum, vt alios aequales habeamus, suoque iure,
modo nos non laedant, placide frui patiamur et odia
peregrinitatis sapienter abrogata paulatim refrigescerent.
Quis enim vicinis vitio verteret, si in fauoralibus
sui iuris, nostros ciues lucrum sperantes ab hoc
dein arcerent, et ad asperitatem nostri ablegarent, quod
ipsum nihil aliud esset, quam inciuilitatem rudium tem-
porum denuo introducere et commercia, quorum
praesidium in aequalitate iuris accipiendi consistit, abs-
que vlla ratione aut commodo disturbare. Sed et ipse

VI

CARPOVIVS subodoratus est allegato responso iniquitatem consecrarii et addit §. 17. vt et def. VIII. ad Const. all. *non aliter tamen exceptio hic locum inuenit, quamsi probetur ciuitatem Marchicam in casu simili fratres vel sorores ex vno latere in Saxonia commorantes cum fratris vtrunque coniuncti liberis admittere noluisse.* Quae cum haesitationem in mente Carpozouiana indicent, parum logice dicta sunt: Ex natura enim retorsionis argumentari debuisset, exceptionem hanc locum demum inuenire, si ciuitas Marchica vbi foror ex vno latere iuncta degit, liberis ex fratribus vel fororibus vtrunque coniunctis haereditatem patruum quod in Saxonia habitent, antea neget, et foror fraterue vterinus aut confanguineus ex dispositione iuris saxonici contra iura Marchica ordinaria cum illis simul succedere praesumeret. Hanc enim inaequalitatem in odium Saxonici ciuis inuentam merito reprimat retorsio, nequaquam vero ius antiquum, commune, nihil extraordinarii statuens, nec in se iniquum: venit omnis iniquitas, non ex eo, quod exteri in successuum doctrina aliter ac nos existiment, sed si magis suis, quam peregrinis faueant, et primi inter suos et nostros non seruatae aequalitatis auctores existat. Recte enim ait CARPOVIVS n. 5. d. VIII. C. 38. *retorsio est instar defensionis, quae nunquam habet locum si non offensio praecesserit:* Quis vero offensionem existimet, si respublica, iure autonomiae gaudens legibus introductum ordinem aequa lance indigenis et aduenis, indulgeat, nec disparitatem inter illos habeat, aut onere vel incommodo aduenas praepropriis ciuibus adgrauet: Plura addere instituti ratio non permittit, cum Clarissimi Candidati

GOTT.

VII

GOTTHELFF EHRENFRIED
WENDII

studia hac commentatione memoranda adhuc supersint. Natus vero is est, Grimmae prid. Kalend. Februar. anni MDCCCXI. Patre *Iob. Chpb. Wendio*, illustris, quod ibi est Gymnasii Praefecto, et matre *Charlotta Dumeniel*, quorum optimorum parentum prima cura fuit, vt filium fidiſſimis praeceptoribus priuatis traderent. Positis primis rudimentis, in Scholam Electoralem patriam receptus per sexennium fere magistros habuit: *Ermelium, Schumacherum, Egenolfum, Vlisum* et *Klimmum*, quibus omnibus plurimum se debere grato animo profitetur. Ab eo tempore in Academiam Lipsiensem translatus, numero ciuium nostrorum adscriptus est a. MDCCCXXVII. *B. Schmidio*, fasces tenente. Praeparationem animi ex doctrinis Philosophicis *Mülleri* instituit et *B. Franckensteini* historicas praelectiones frequentauit; Dein Scholam *Riui* et *Mülleri*, vt et meas in Iure Romano addiscendo tam publice quam priuatim secutus est, et *B. Gribnero* et *Bauero* ius publicum canonicum et processum tradentibus discipulus adſtitit. Publice quoque a. MDCCCXXXII. varias iuris controuersi theses ex Gymnasio Polemico Menckeniano praefide *Künboldo*, defendit, eiusque collegium frequentauit, ex actis relatorium. Absolūtis studiis Academicis, Dresdam se contulit vbi, impetrata summum rerum militarium Tribunal adeundi licentia, processum et iura, quibus milites vtuntur, didicit. Post semestris anni spatium et quidem sub finem an. MDCCCXXXII. iudex militaris euocatus est, cui quoque officio per octo annos et quod excurrit, praefuit, et ita quidem, vt de superiorum gratia et reliquorum proli-

VIII

prolixo affectu magnopere sibi gratulari potuerit. His igitur bonae mentis praemiis suffultus, nulla pericula, nullas molestias, quae tam in Sarmatia, quam extremis Panoniae oris subinde obuenerunt, metuit, sed iuuante Deo et sanitatem inconcussam largiente, imo non sine iucunda praeteriti temporis recordatione quaecunque aduersa superauit. Cum autem properantibus annis stabilior commodiorque sedes ipsi quaerenda fuerit, inter aduocatos immatriculatos nomen suum professus est, et impetratis a nostro ordine Notarii Publici iuribus, non ita pridem in senatorium ordinem inter Chemnicenses, relatus est. Post haec a nostro ordine in numerum Candidatorum receptus, in utroque examine acquisitam iuris peritiam egregie probauit, atque merito Licentiam ad Licentiati et Doctoris iuris dignitatem adspirandi omnium suffragio est consecutus. Officio itaque satisfactorius exposita in auditorio Petriano *L. 6. C. de iurisdic. omn. iudic.*, die VIII. Iunii in aciem producet, exercitationem in auguralem *de poenis militum famosis* eamque tuebitur. Quo certamine peracto, summos in utroque iure honores et Priuilegia quae in hac Academia promotis extra Facultatem competunt, ipsi tribuet, *Vir Consultissimus et Excellentissimus* DN. IOANNES GOTHOFREDVS BAVER, Collega Honoratissimus, Promotor ex Decreto Ordinis nostri a me Procancellario rite constitutus. Cui solenni Actui ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMITES ILLUSTRISSIMI utriusque Reipublicae Procere grauiissimi atque Generosissimi et Nobilissimi Academiae Ciues splendorem praesentia sua conciliare haud dedignentur, mutua studia et officia pollicitus, qua decet obseruantia rogo. D. Lipsiae Domini post Fest. Trinit. MDCCCXLI.

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

ULB Halle 3
003 850 080



Sb.







261

1741, 21a

PROCANCELLARIVS
CAROLVS OTTO
RECHENBERG
SOLEMNIA

INAVGVRALIA

CANDIDATI CLARISSIMI
GOTTHELFF EHRENFRIED
WENDII

GRIMMENSIS
D. VIII IVNII MDCCXLI
CELEBRANDA
INDICIT.

de
Jure Retorsionis?
ad Const. Et. 58. Part. III.

